

Maclaurin, Colin

Expositio philosophiae Newtonianae, ex editione Parisina D. Lavirotte anni M.DCC.XLIX. in latinum conversa a Gregorio Falck.

Vindobonae (Wien) 1761. (6)+XXXIV+495 s.
6 tab.

Gad. n:r 2287.

Johannes Gadolin.

Inb. 4:o

MAC LAURIN
PHILOSOPHIAE
NEWTONIANAE

COLINI MAC-LAURINI
EXPOSITIO
PHILOSOPHIÆ
NEWTONIANÆ,

EX EDITIONE PARISINA

D. LAVIROTTE

ANNI M. DCC. XLIX.

IN LATINUM CONVERSA

A GREGORIO FALCK Soc. JESU.

ANNO M. DCC. LXI.



VINDOBONÆ,
TYPIS JOANNIS THOMÆ TRATTNER,
CÆS. REG. ET APOST. MAJ. AULÆ, NEC NON INCL. STA-
TUUM INFER. AUSTRIÆ TYPOGR. ET BIBLIOPOL.



Cum vero interpretis, non censoris, munus gereremus, haud integrum fuit omittere paucula quaedam, acerbius fortassis in eos dicta, qui in explicando mundi systemate aliam sibi ineundam esse viam arbitrantur. Eodem quoque modo vitam ejus in Latinum convertimus, non composuimus, neque idcirco probamus omnes laudis in eum derivatae fontes. Retinuius denique Lavirottii annexum proxime prooemium, ex quo lector, priusquam opus ipsum aggrediarur, Auctoris consilium rite perspiciat.



PRÆ-



PRÆFATIO
D. LAVIROTTE M. D.
AD EDITIONEM GALLICAM.

¶ Usquam non pauci jam proferunt libel, in quibus
¶ Newtoni placita, seu quæ Astronomiam, seu quæ
¶ alias rerum naturalium scientiæ partes concernunt,
¶ sparsim tradita reperiuntur: decet tamen adhuc,
¶ ut quidem arbitror, ejusmodi, in quo ejus Philosophiæ capita
¶ singula non minore accuracione, quam claritate, & singillatim,
¶ & conjunctim omnia exposita haberentur. Vir quippe ille sum-
¶ mus tam sublimi hæc in libris principiorum petradavit metho-
¶ do, ut exiguus modo sit eruditorum numerus, qui, cum ceterum
¶ etiam nihil tam arduum habeant disciplinæ Mathematicæ, cui pa-
¶ res se non experiantur, in hæc quoque legendi acie se penetra-
¶ tores sperent. Quare haud erit, cur quisquam libel, qualem præ-
¶ sentem lectoribus offerimus, utilitatem in dubium revocet, e quo
¶ ceteri quoque, qui scientiis navant operam, id expectent com-
¶ modi, ut ne a Philosophiæ longe præstantissimæ cognitione accu-
¶ rata accedant.

Quot



LECTORI BENEVOLO.

*U**T* *Commune esset omnibus commodum, quibus communis amor est pulcherrimæ Philosophiæ, operæ pretium me facturum existimavi, si quidem & cuique facile parabilem, & eorum etiam, qui latinis duntaxat instituti sunt literis, usibus accommodatum redderem librum, qui, quam exponit Philosophiæ Newtonianæ præstantiam, discantium scilicet excitando ardori aptissimam, non sterili commendat elogio, sed ita evincit perspicue, ut dum eam cum aliorum inventis conten-*

dit, non suo, sed lectorum suorum calculo omnibus præponere videatur. At quoniam tum maxime placet veritas, cum ejus firmitatem in ipsis quodammodo assultibus adversariorum perspicimus, non contentus simplici expositione Mac-Laurinus noster, illud agit potissimum, ut quæ opponi solent huic Philosophiæ, refellat manifestissime, & quæ in controversiam vocantur, vehementer confirmet; quod utrumque, dum singulari præstat dexteritate, ita simul incredibili quadam in tam abstrusis copiosisque rebus & explanandis facilitate, & disponendis prudentia Magistri mentem exequitur, ut in eo non pars, sed totus adeo Newtonus vivere, atque spirare videatur. Pluribus verbis præclarissimi Mac-Laurini laudes isthuc commemorare, non est sententia, ne aut præmium excurrat longius, aut minus, quam res postulat, dixisse videamur: illud breviter adjicio, nihil mihi in universo hoc opere fuisse antiquius, quam ut certioris Philosophiæ studiosorum animi ad ipsius Newtoni operum lectionem præpararentur, a qua potius

tius avertuntur, si aliorum libros minus accuratos pervolvant; quod si enim in his quædam a Newtono multum diversa lectoribus non probentur, quid pronius, quam ut errore decepti, cum eadem placuisse Newtono arbitrentur, minoris illum incipiant facere?

Habes igitur exposita jam fere ea, quæ me, ut præsentem Mac-Laurini librum e Gallico in Latinum converterem, potissimum hortabantur. Ipsa porro interpretatio ita est adornata, ut verba lectori non annumeret, sed tanquam appendat, ac si non elegantiam, at mentem Auctoris, qua licet, exprimat. Nulla nos religio vetuit, adhibere usitata Philosophis, Mathematicisque vocabula, quæ qui rejicienda putat, næ ille sibi necessitatem imponet, alia puriora & æque simplicia adferendi, quæ Tullius, si ætate ejus hæc omnia inventa fuissent, ipse sibi effingere debuisset, vel longa verborum circuitione lectorum animos fatigandi.